Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2829
Quelle:
Copyright:

XV. *fol.* 85. Excerpta e Postillis *Nicolai de Lira* in Isaiam et Tractatu contra Judaeos.

XVI. *fol.* 95. *In nomine sancte et individue Trinitatis patris et filij et spiritus sancti. Hij sunt articuli contra fratrem Bernbardinum de ordine minorum inuentorem noui caracteris nominis huius ihesus.* Hos *Articulos* numero XV. neque *Bollandistae*, qui ad diem 20. *Maji* varias *Bernardini Albizesci Massani*, sed dicti *Senensis* O. M. βιογραφιας produxere, neque *Waddingus*, qui T. X. et XI. *Annal. O. M.* Viri facta percenset, prae manibus habuisse videntur. Originem novi hujus Characteris ad *Bononiam* refert *Sigonius* L. IV. *de Episcopis Bonon.* et ex eo *Waddingus* T. X. edit. *Rom.* 1734. p. 71. f. ubi, cum Tabularum lusoriarum, quas pro concione vehementer damnaverat *Bernardinus*, artifex ad eum accedens omnem alendae familiae quaestum hac ratione sibi perire caussaretur, *Bernardinus*, ut est in Vita *ms.* apud *Bollandist. T. V. Maji p.* 307. *Dabo tibi sanum Consilium*, intulit, *et accipiens circinum fecit circulum rotundum, in quo solem pinxit, et in medio solis nomen Jesus descripsit — et querelanti dixit carpentori, ut tales figuras de cetero faceret. Qui magister — majorem quaestum quam prius acquisivit.* Hunc porro cultum dum noster per alias etiam *Italiae* Urbes, quas sacris praedicationibus obibat, propagaret, novitatis species, ut fit, arrexit animos, malevolosque, perpetuos illos Famae comites, in Autorem concitavit. Atque hinc Accusationis nostrae Capita, quorum initium: *Frater Bernbardinus de ordine minorum a X uel XI. annis citra predicans in lombardia inuenit et excogitauit nouum cultum seu nouum ritum colendi non domini neque ecclesie aut apostolice sedis auctoritate sed proprio sensu. Est autem hic cultus quod tabulam quandam in qua literis aureis depingit hoc nomen ihesus cum multa superticione exhibuit populis adorandum non solum in lombardia sed etiam in pluribus alijs locis. Et hoc solebat facere in publica predicatione accensis cereis multis et mandabat toti populo vt in ostensione illius tabule omnes genuflecterent et deponerent capucia et hoc valde notorium est* &c. Accusatur deinceps Tabellam suam ubique Cruci anteferre, dixisse, in voce *Jesus* contineri Patrem et Filium et S. Spiritum, majorem Tabellae suae cultum exhibere quam ipsi Hostiae consecratae, condidisse societatem *Jesuariorum*, qui alios prae se contemnant, nolle nomini *Jesu* addi *Christum*, constituisse sibi Discipulos pro numero Apostolorum et Evangelistarum, quos inter emineret *Frater Matthaeus de Sicilia*, et plura ejusmodi, inter quae singulare: *In ianua quidam magnus hereticus et papa fratricellorum dampnatorum ab ecclesia et papa Johanne XXII. combustus est, iam sunt circiter quatuor anni elapsi. Qui inter cetera confessus est quod bernbardinus predictus erat et est de secta et opinione ipsorum*